

901. V, 4-11 — Apontamentos dados ao Papa João XXII, por mandado de el-rei D. Dinis, pelos quais se mostravam as razões por que devia haver, em Portugal, mestre de Santiago. (1317). — *Pergaminho. Bom estado.*

*Sanctissime* pater Manuel Januensis admiraldus et Vincentius Johannis anbassiatores magnifici principis domni Dionisii Portugalie et Algarbii regis illustris devoti vestre significat sanctitati quod infrascripta omnia et singula veritatem continent et sunt publica et notoria.

*In primis* videlicet quod olim rex Portugalie et Algrabii qui tunc erat considerans magistri et fratrum ordinis militie Sancti Jacobi qui tunc erat strenuitatem in armis et atendens etiam quod propter vicinitatem quam habebant regna Portugalie et Algarbii cum sarazenis et fidel inimicis rex ipse pro tuitione eorundem regnorum ac etiam impugnatione sarazenorum ipsorum hominibus vigorosis strenuis ac pro fide zelantibus plurimum indigebat possessiones fortilitia loca et castra quam plurima in regnis predictis consistentia presertim in frontariis sarazenorum concessit magistro et fratribus supradictis.

*Item.* Quod successive alii reges Portugalie et Algrabii possessiones loca fortilitia et castra predictis magistro et fratribus augmentarunt in regnis predictis.

*Item.* Quod possessiones fortilitia loca et castra fere omnia que dictus ordo tenet in regnis predictis a domo regia Portugalensis processerunt et ex liberalitate regia ad ipsum ordinem devenerunt.

*Item.* Quod plurima ex fortilitiis et castris predictis sunt in dictis frontariis et nonnulla ex ipsis fortissima sunt contigua finibus regnorum Castele et Legionis.

*Item.* Quod reges predicti possessiones loca fortilitia et castra predicta prefato concesserunt ad hoc ut magister et fratres ipsius ordinis qui pro tempore essent assisterent regibus memoratis indefensione regnorum predictorum tam contra dictos sarzenos quam contra alios regna eandem impugnare volentes ut etiam ipsis regibus fideles essent et eos in suis agendis pro viribus juvarent et hospitalitatem tenerent et alia pietatis opera exercebant.

*Item.* Quod ratione locorum et fortaltiorum possessionum et castrorum predictorum plures et in majori multitudine sine comparatione fratres dicti ordinis antiquitus in regnis predictis Portugalie et Algrabii morum consueverunt qui de fructibus possessionum locorum et castrorum predictorum et legatis ab incolis dictorum regnorum eis relictis vivebant et dictis regibus serviebant cum equis et armis in gueris quas ipsos tam contra dictos sarazenos quam contra alios contingit habere quam morarentur tempore ordinationis infrascripte.

*Item.* Quod ordo predictus habet et habuit jam sunt xl anni et ultra in regnis Castelle et Legionis amplas latas et diffusas possessiones loca fortilitia ac castra quam plurima. Et quod propter possessiones loca fortilitia et castra hujusmodi gubernanda et costodienda magister dicti ordinis necesse habebat et habet per ea sepius discurre et ipsorum cure invigilare et intendere diligenter.

*Item.* Quod propter curam sollicitudinem et discursum quos dictum magistrum habere et facere oportebat occasione possessionum locorum et castrorum predictorum in dictis regnis Castelle et Legionis consistentium et propter multa et ardua negocia que ei incurebant ratione sui ordinis exequenda reddebatur quam plurimum occupatur.

*Item.* Quod propter tam hanc quam alias plurimas occupationes prefatus magister non poterat ut debebat intendere neque intendebat circa comendans et cure et solitudini locorum fortilitiorum et castrorum ejusdem ordinis consistentium in regnis Portugalie et Algrabii supradictis.

*Item.* Quod ex eo quod dictus magister non intendebat nec intendere poterat cure et solitudini fratruium possessionum locorum et castrorum predictorum in dictis regnis Portugalie et Algrabii supradictis consistentium mores ipsorum fratrum non corigebant et in observantia regulari quam profesi erantipsi non modice defficiebant et cultus divinus non modicum minuebatur.

*Ipsaque* possessiones necnon loca fortilitia et castra predicta non excolebantur nec costodiebantur ut opus erat sed plurima ex eis ruebant complanabantur in desolatione dabantur et fere peribant et ob hoc consueta servitia non exhibebant nec exhiberi poterant regibus memoratis in eorundem regum prejuditium magnum nec aniversaria ratione legatorum eis relictorum debita idem fratres persolvebant nec hospitalitatem nec allia pietatis opera excebant ut exercere tenebantur et consueverant ante. Et quod ex his grave scandalum exortum erat et fuit contra dictum magistrum et fratres ipsius ordinis apud incollas regnorum Portugalie et Algrabii predictorum.

*Item.* Quod propter predicta predictus ordo in regnis ejusdem Portugallie et Algrabii passum erat et fuit in spiritualibus et temporalibus maximum detrimentum ante assumptionem felicitis recordationis domni Nicolai Pape quartii ad apostolicatum et patiebatur tempore assumptionis ejusdem et tempore ordinationis facte per eum quod fratres ipsorum regnorum alliquem assumere possent in suum et sui ordinis in eisdem regnis provinciale magistrum.

*Item.* Quod ante tempus ordinationis predictae ad hoc erat devenum quod magister dicti ordinis possessiones et loca ipsius ordinis in dictis regnis Portugallie et Algarbii quo ad eorum curam et sollicitudinem quam pro derelictis habebat nec ea aliquantulum vesitabat. Et libros calices cruces et alia ornamenta ad cultum divinum deputata et pecuniarum que percipiebatur ex fructibus redditibus et proventibus possessionum locorum et castrorum predictorum in dictis regnis Portugallie ac Algarbii consistentium necnon equos et alia mobilia fratrum de regnis ipsis exportari faciebat et facit et in quos volebat usus expendebat et expendit et quod tam ab hoc quam ex eo quod prefatus magister cure et sollicitudini fratrum eorundem ac possessionum locorum et castrorum ipsorum non intendebat nec intendere poterat ad ea deffecerat quod non nisi valde pauci ex fratribus dicti ordini sustentari poterant ex fructibus redditibus et proventibus possessionum et locorum ipsorum.

*Item.* Quod inimico homine seminante zenzeniam inter castellanos et Portugalenses gravia et orida guerarum discrimina sepius intervenerunt et emulatio ac invidia (*sic*) fuit sepius inter ipsos nec esse desiderat sed erat et vigeat tempore ordinationis predictae.

*Item.* Quod in gueris predictis prefatus magister servivit et servire consuevit castellanos contra portugallenses etiam de pecunia et equis extractis et habitis de possessionibus et locis ipsius loci consistentibus in regnis Portugallie et Algarbii supradictis.

*Item.* Quod per castra et fortilitia existentibus in finibus dictorum regnorum Portugallie et Algarbii et convicina regnis Castelle et Legionis predictis concessa ut permittitur per reges Portugallie et Algarbii ordini predicto de facili patere posse castellanis additus in regna predicta Portugallie et Algarbii si castra ipsa non custodirentur per fideles et devotos regis Portugallie. Et quod ipsi regi et incolis regnorum suorum maximum periculum contingere et prejudicium fieri posse si ipsa fortilitia et castra esset sub custodia alicujus qui magis faveret castellanis quam portugallensibus.

*Item.* Quod periculum et prejudicium hujusmodi suberat et timebatur tempore dicte ordinationis domni Nicolai Pape prefati et adhuc timetur.

*Item.* Quod reges Portugalie qui fuerunt pro tempore guerarum continuam habuerunt et rex qui nunc est habet exercuerunt et exercet cum sarazenis et omni anno eis opportuit et oportet per mare et per terram apparatus sumptuos facere contra eos et ipsos apparatus fecerunt.

*Item.* Quod propter gueram et apparatus predictos regna Portugallie et Algrabii deffensa sunt et deffenduntur ab occupatione sarazenorum predictorum quodque per hoc etiam regna predicta Castelle et Legionis magnam tutelam habuerunt et habent ab incursibus sarazenorum eorumdem.

*Item.* Quod commendatores et fratres locorum seu domorum dicti ordinis Sancti Jacobi in regnis Sicilie et Aragonie perceperunt integre et percipere consueverunt omnes fructus redditus et proventus provenientes ex locis seu domibus predictis et ipsos in suos usus et alios prout eis placuit expenderunt nec de ipsis magistro generali dicti ordinis aliquod responderunt nec respondent neque dant sed de ipsis libere disponunt.

*Quare* suplicant Sanctitati vestre anbxatores predicti quatenus predicta que vera et notoria sunt in consideratione deducentes et illud presertim quam periculosum existeret et existere posse regi et regno predictis propter emulationem que fuit et est inter castellanos et Portugalenses si per gubernationem et dispositionem dicti generallis magistri custodirentur et regerentur castra fortilitia et loca predicta potissime cum ut dictum est plura ex eis etiam fortissima regnis Castelle et Legionis convicina et contigua. *Necnon* atendentes quod generalis magister ordinis prelibati si ordinatio dicti domni Nicolai Pape quarti tolleretur fratres dicti ordinis de regnis Portugalie et Algrabii predictis tam tempore guerarum quam pacis ad se cum equis et armis evocare posse pro libito voluntatis et ipsos etiam contra Portugalenses provocare. *Et* insuper quam absurdum quam inconueniens foret si ex pecunia equis et alliis rebus que processerunt de bonis a domo regia Portugalensi ordini predicto colatis impugnarentur dignemini statum et ordinationem dicti domni Nicolai renovare et renovata ex certa scientia confirmare ut per hoc pecunie et bona dicti ordinis in regnis predictis Portugalie et Algrabii consistentis seu consistentia quodam spiritualia et temporalia salubriter et utiliter valeant gubernari et de ipsis haberi cura et sollicitudo oportuna ac dictus dominus rex a quo et ejus per (*sic*) genitoribus prefatus ordo fere omnia bona que optinet in regnis predictis processerunt recipere valeat a dictis comendatoribus et fratribus sententia consueta potissime in gueras sarazenorum predictas nec ex ipsis bonis valeat impugnari aud (*sic*) contra cum quodquam perniciosum excogitari et per ipsos dicta anniversaria persolvi et alia pietatis opera valeant exerceri ac materia quelibet defensionis et emulationis inter portugalenses et castellanenses amputentur. Et dicti commendatores et fratres de regnis Portu-

galie et Algrabii predictis detetioris conditionis non reddantur quam sint alii in regnis Aragonie et Sicilie et allibi comemorantes nec existimare debet generalis magister predictus ex hoc sibi aliquid derogatum vel quid injuriosum illatum si necessitate quadam pars solitudinis alli comititur cum ex visitatione et corectione sibi reservatis allius sit inferior et ejusdem magistri meritum tamquam superioris agnoscat nec ei nomine aud re equaliter constituatur sicque verum non est dicere duo capita videri ex hoc in dicto ordine constituta. *Nec* est insolitum quod petitur nam et in ordine de Calatrava regni Castelle est generalis magister et nichilominus in Ordine de Alcantere est generalis magister regni Legionis et Ordine de Aviso qui est in regno Portugalie et in ordine de Monteza regni Aragonie quem nuper Vestra Sanctitas instituit sunt provinciales magistri qui in visitatione et corectione tantum modo sunt dicto generali magistro de Calatrava subjecti cum tantum in quolibet horum ordinum eadem sit cum ordine de Calatrava professio idem habitus eademque observantia regularis.

(A. E.)